





Freiherr v. Ende-Althessnitz.

54

**XL.**

Q. D. B. V.  
*DE*  
**S P E C T R I S,**

*INCL. FACULT. PHILOSOPH.*

*ANNUENTE,  
PRÆSIDE  
DOMINO*

**M. ADAMO Rechenberg/**  
Ser. Elect. Saxon. Alumno,

*publicè disputabit*

D. XI. Martii, A. C. M. DC. LXVIII.

**JOHANNES GABRIEL Drechsler/**  
Wolckenstein. Misn. Philos. Studiosus,

A. & R.  
**H. L. Q. C.**

---

**LIPSIAE,**  
Literis JOHANNIS ERICI HAHNII.

39 C



. Lx

G.D.B.A.

DE

# S P E C T R I S

INC. EBCIUS. PHILOSOPH.

MINNANT,

PRESIDE

DOMINO

# M A D A M O R G A N

SER. ELEG. SAXON. ALIUMQ.

D. XI. M. M. A. C. M. DC. LXVII

Johannes GABRIEL GÖTTLEB

WOLFGANG. MIT. PHILIPS. SCHÜLERIS.

A. A.

H J F C

1621

Litteris Johannis ERICI THAHNI

82

# I. N. J.

Vi scribere Disputationem ordiuntur, communiter tria à Rhetoribus laudis argumenta, (qvæ in Demonstrativo genere sunt præcipua,) ut thema suum commendent, petunt mutuò. Nos in nostro duo saltem, ex iis adhibebimus: *jucundum & utile*. (1) Utile hoc est. Cognitâ enim Spectrorum naturâ, animarum separatum statum securiorem esse, juxta ac Dei providentiam circa Diabulos intelligere possumus: *jucundum*; non aspectui, qvō multi terrentur; sed menti, qvæ \* sciendi etiam circa Spectrorum naturam, jucunditate dicitur. Pro virili interpretatione utrumq; confirmabitur, si probata, juxta methodum, existentiâ, monstraverimus Spectrorum quoq; natu-  
ram. Fxit Deus feliciter!

## SECTIO I.

§. I. Qui de rerum naturis absq; earum existentie demonstracione disquirunt, pisces in aëre venantur. Exemplis declarari posset, si hâc vice esset opus. Nos more hoc posthabitô, spectrorum

A 2

Spectrorū  
existentia,

(1) B. Lutherus super cap. 14. Lucæ: De spectris docere, necessarium est & utile, ut sciamus, nos non solos esse, quasi Diabolus ultrà centum millaria à nobis separatus versetur, undiqueque circa nos est, & larvas ad terrendum nos induit sic ut ipse non raro vidi. Vid. Schererz lib. de Spectris prefat. \* Hinc C. Plinius perqvām scire vult, cum Suræ suo scribit, an Phantasinata sint, & habeant propriam figuram, numenque aliquod putandum sit; an inania & vana ex metu nostrō imaginem accipiant. lib. VII, Ep. 27.

*existentiam* (2) prius ostendemus, qvām eorum *naturam* expo-  
namus.

Non ex  
naturali lu-  
mine co-  
gnoscitur,

Probatur.

Vossii ob-  
jectio sol-  
vitur.

§. 2. Viā causalitatis, qvām Scholaſtici vocant, Gentiles  
(3) *Spiritum infinitum, unum, omnipotentem esse cognoscere* potue-  
runt; num verò & finitos ac *Spectra*, disqvirendi pateſit campus.  
*Negativa nobis placet: qvia cūm autoritate, tūm ratione stabiliri* po-  
teſt. Inter Orthodoxos, qvi negant, primas Augustinus, (4) &  
huic non diſſimiles B. Dannhauerus, (5) & Dn. D. Meisnerus (6) te-  
nent; adde & Excell. Noſtrum Dn. D. Scherzerum, (7) Ebelium,  
(8) M. Kil. Rudrauffum (9) & Dreierum. (10) Papæos verò inter  
Petavius, (11) Greg. de Valentia, (12) Becanus, (13) Melchior Cor-  
næus, (14) Joh. Lalemander. (15) Ex Calvinianis præcipue pro ne-  
gativā acerrimè militat Adrianus Heereboord, (16) aliiqz.

§. 3. Nam ratio, qvām Doctissimus Gerh. Joh. Vossius (17)  
contrā adſert, neutiqvām firmam parit conclusionem: *Dantur ora-  
culorum responsa, dantur mira magica, apparitiones, prodigia & oſten-*

(2) Hanc Democritus & ex parte Aristoteles negarunt apud Vosſium de I-  
doloſ. O. & Pr. l. 1. c. 6. p. 40. Epicuræi apud Delrium D. M. I. 2. qv. 26.  
Sect. 1. p. 227. it. Sadducæi, ut ex ſacro codice Act. 23. verſ. 8. conſtat; &  
qvem ex Luzemburgensi hæreticorum catalogo in Exercitatione singulari  
Scholaſticâ, ſeu Michaëlibus Th. 1. §. 2. p. 2. Henr. Nicolai adducit, circa an-  
num 1502. Batavus qvidam, nomine Hermannus Rißvich. Confer Annotata  
ad lib. de Relig. Medic. Levini Nic. Moltken. p. 185. ſeqq. Nec forte ad-  
huc deſunt, qvibus mens ita stupeſt, ut de Existentiâ Spirituum finitorum am-  
bigant. (3) | Pulcrè in hoc argumento verſatur H. Grotius lib. I. de verit.  
Relig. Christian. (4) Angelos, inquit ille ſuper Ps. 103. novimus exſide, &  
multis apparuifte ſcriptum legimus & tenemus, nec inde dubitare fas nobis  
eft. (5) Hodosoph. Christ. Edit. noviss. p. 280. ſeqq. Existentiâ Angelorū  
innotuit gentilitati, non tām argumento aliquo apodicticō (in paren-  
theſi rationationes infirmas infringit, qvas transſcribere nolumus) qvām ex  
famâ ab Ebrais deriſatâ. (6) Philos. Sobr. part. I. Sect. 4. c. IIIX. p. 2098.  
(7) In Discuru Philosophico- Philolog. de Angelis th. 4. (8) in Colleg.  
Metaph. part. Special. disp. 6. Sect. 1. art. 1. p. 129. (9) Contempl. 17. Met.  
§. 2. (10) Disp. 18. in pr. Philos. §. 2. p. 315. (11) Tom. 3. Theolog. dogm.  
I. 3. c. 1. inde non miror, qvōd Tertullianus Apologet. c. 22. p. m. 31. & ſeqq.  
Platonem, Angelos eſſe, noverit. (12) Tom. 1. disp. 4. qv. 1. (13) in Theol.  
Schol. part. I. tract. 3. c. 3. qv. 1. & 3. (14) in disp. 4. Met. qv. 1. Sect. 2. de  
Angelis. (15) Disp. 6. Met. part. I. in decisione num. 3. p. 113. (16) Volum.  
I. Meletem. disp. 12. th. 5. (17) lib. I. de Orig. & Progress. idololat. c. 6.

ta, Ergò dantur spiritus finiti. Gentilis, credens πολυθεόντα, Deos esse existimabit: Christianus id ab animâ aliquâ separata, vel suis met, vel divinis viribus fieri, cogitare potest sine Scripturæ lumine.

§. 4. Inde cum Augustino (18) laudato & Nostratibus, ut Angelos esse, scriptum legimus; sic esse Spectra legimus, audivimus, & aliqui viderunt: Scriptura sacra, (19) & profana loquuntur: Fide digni Autores retulerunt: Præter Veteres, & nostræ memoriae homines commemorârunt. Labore probandi nos Curiosæ Physicæ Autor pereruditus Casp. Schottus (20) sublevavit. Si quis tamen plura desideret, ea in Libro, (21) qvitectò Autoris nomine Islebiæ olim prodiit, inveniet. Plures etiam hinc inde citabimus.

§. 5. Veniamus ad rationes. Hæc terriculamenta, qvæ vi- dentur, aut sunt defunctorum animæ, aut Angeli, aut Diaboli personati: Non sunt animæ separatae Sanctorum, cùm qvia lumini revelato, (22) tūm qvia lumini exindè nato repugnat. Anima enim sancta aut apparet in proprio corpore, aut in alieno, aut in aëreo recens efformato: nihil horum! non in proprio, qvia nec honestum, nec decens est, glorioſas animas corporum suorum diffluentium & tabidorum angustias, ante resurrectionem, subire, maximè, si diu computuerint: non in alieno, qvia id minus decet, ac insuper fini apparitionis

Ex relatio-  
ne & sen-  
suali noti-  
tia proba-  
tur.

Probatur  
existentia  
a bonis An-  
gelis & ani-  
mabus se-  
paratis di-  
stincta.  
Non sunt  
animæ fe-  
paratae San-  
ctorum.

A 3

repu-

(18) l.c. (19) Matt. 14. vers. 26. Marc. 6. vers. 48. Luc. 24. vers. 37. 39. Act. 16. vers. 9. Sap. 17. vers. 3. Eph. 6. vers. 12. Job. 4. vers. 15. seqq. (qvod spectrum Eliphazæum Angelo malo luce inducto invult B. Dannh. Hodosoph. Phæn. IV. p. 406; imputare cum Brentio p. 17.) Huc spectant vastarum urbium testes Satyri, qvos Es. 13. vers. 21. c. 34. vers. 14. שָׁרִירִי & Luth. Feldgeister appellat. Vid. Dannh. l.c. qvæ loca conjunctim probant existentiam. (20) lib. II. part. I. c. 3. p. 210. seqq. (21) Anno 1597. typis & sumptibus Henningi Grosii, Bipl. Lips. Huic etiam addere licet Wier. lib. de Præstigiis Dæmonum lib. I. c. 15. p. 70. sq. qui & exemplum de Spectro aliquo cum Luthero disputante notat, ibid. c. 17. p. 87. Nec non Delirium Disquis. Magic. lib. VI. c. 2. Sect. 1. qv. 1. p. 930. 931. seqq. (22) 1 Sam. 12. vers. 23. num potero eum (precibus) reducere? item, non revertetur, h. e. ex genio liugvæ, redire potest, adde Luc. 16. v. 26: Ἐγένετο δὲ οὐρανοὶ πάσι οἱ βέλοντες διαβῆναι (sc. ē cœlesti gloriâ) εἰπεῖν τοὺς ψυχὰς, μὴ δύνανται. Si non ad damnatos, Ergò nec mortales. Eadem ratio impossibilitatis utrobique: sordes cum illâ sorte non miscenda. Vid. Noster B. Dannh. Hodosoph. Phænom. IV. p. 411.

repugnat, qvi est germanis & propriis lineamentis, atq; notis exuviarum agnosci: non aereo, qvia anima separata non potest vi propriâ alia â se movere ex veriore sententiâ, caret enim organis corporeis. Ita Summus (23) Theologus Dannhauerus. Porro improbabile rationi videtur, animas separatas (datô, (24) qvod ratio humana earum ὑπαρξία post discessum â corpore cognoscat ) illas posse per se corpora denuò informare. Liberationem â corporis mole, animas desiderare Platonici docuerunt. Cur enim vinculis exemptæ iisdem iterum claudi appeterent? Historiæ (25) id factum esse, qvæ citantur, fabulæ sunt ad fallendos simplices â Papistis effictæ. Extra ordinem verò defunctorum animas remittere in hanc vitam posse, libenter † Delrioni largimur. Præstò Eliæ Mosis & qvi Christo resurgentे, apparuere, sunt exempla.

Non' dam-  
natorum.

§. 6. Quid de damnatorum animabus sentiamus? forsitan illæ, qvod de piorum ante Christum Justinus Martyr (26) contra Tryphonem tradidit, sub potestate Diaboli sunt, qvas ille pro lubitu circumducit, variisq; corporibus vestit? Absit hoc arbitremur! Ex qvō corpore discesserunt, peñæ locum (ut beatæ lætitiae,) subeunt. Simili enim opposito frui statu verisimile est. Et qid verisimile? certum dixerim. Lurconis (27) illius anima pro arbitrio egredi non potuit. Nec credo, id potestatis Diabolo Deum induluisse, ut suo lubitu illas circumducat. Nisi Dei permissione id fieri (cujus tamen in Scripturâ Sacrâ extare testimonium vel exemplum non memini) dicere velis. Teste B. Dannhauero (28) ipsi Romanenses (puta aliquos) damnatas animas redire posse, inficiantur. Brevis, qvam sectamur, non permittit, ut Doctissimi Delrii, & Schotti rationes excutiamus. Prolixæ illæ sunt, variisq; hypothesisib; qvæ in Theologia sovendæ, nituntur.

§. 7. Er-

(23) Dannh. I. c. (24) negat vero hoc solidis argumentis, qvi Ecclesiam illustravit, Theologus, B. Hulsem. Breviar. cap. XVI. thes. I. p. 260. seqq. (25) Casp. Schott. Phys. Curiosa lib. II. part. II: c. 20. 21. &c. p. 267. seqq. multas hujus furfuris historias congerit, ut tuorum hypothesis ad laicoram marsupia emungenda valde utilempalliet. † Delrio Disq; yisit. Magic. I. II. qv. XXVI. Sect. II. conf. & B. Kunadum de Mortuis Redivivis. (26) Vid. P. Martyr. Loc. Commun. Clasf. I. c. IX. fol. 34. Confer. B. Scherzerium in lib. Consolat. de Spectris c. V. qvō defunctorum animas apparere non posse, probat. (27) Luc. 16. (28) Hodosoph. Christ. p. 411.

§. 7. Ergò Boni + Angeli? neutiqvam! Aliud eorum circa Non sunt  
pios est ministerium: manibus eos (29) portant, & ne periculis im- bonian-  
plicantur, alacriter vigilant. Non hominum exitium qværunt, nec geli.  
terribili specie terrent homines. Taceo ejusmodi strigum actiones  
& postulata, qvæ in historiis consignata sunt, Angelorum bonorum  
perfectionem & clementiam reddere dñbiam posse.

§. 8. Superest tenebrarum princeps, qvi Proteo similis mille Sed perso-  
formas induere valet. Hic Dei indultu ex suis cohortibus tales per- nati Dia-  
sonatos emittit spiritus, qvos, qvi vident, Spectra nuncupare solent.  
De horum naturâ nunc porrò.

## SECTIO II.

§. 1. Probatâ Spectrorum Existentiâ, qvæ ab animarum se-  
paratarum, Angelorumq; fuit distincta, ad Essentiam illorum, qva-  
tenus nobis probabiliter innotescit, nunc veniendum est. Illam  
Definitione, prout haberi in re verisimili potest, manifestabimus.

§. 2. Spectra sunt Spiritus mali personati, qvi Dei permisso in Definitio-  
assumis corporibus, qvæ varias res representant, hominibus noctu & in-  
terdiu, domi & foris, vel ad terrendum, velfallendum apparent.

§. 3. Definitum hujus descriptionis est Spectra, seu in singu- Definiti E-  
lari Spectrum, qvod suâ nativitate, ut notum, est Latinum. Fit enim tymolo-  
â verbo Specto, qvod ex supino antiqui verbi Specio est, (30) qvia glia.  
spectrum specitur, seu videtur sèpius, cùm realem hypostasin non  
habeat.

§. 4. Variè autem sumi hanc vocem multis monstrat B. Homony-  
Dannhaerus suprà citatus: (31) Nam si latissimè vox exten- mia.  
datur, includit ὄφεια, seu visum etiam, vel \* visionem δοξασινῶς  
talem, cui nulla subest ὑπόστως; sed qvod mera est imaginationis  
fictio,

† Schottus Bonos Angelos qvoque Spectra fieri, non dubitat l. c. c. 16. p. 261. (29) Ps. 91. vers. 14. Ps. 34. vers. 8. (30) Vid. Becl. de Orig. Lat. Lingvæ, p. 1074. (31) Hodosoph. Christ. Phænom. IV. p. 405. seqq. \* Del- oī. c. p. 229. visionem enim veterios à visu distinxerunt: vise illis ὄφεια,  
qvoties nos id videre prius opinamur, qvod ita postmodum evenit, ut appa-  
ruerat. Visum vero Φάντασμα nominant, cum intervigilio vel insomnis  
ei qui vigilare se putat, formæ aliquot oculis sese videndas offerunt.

fictio, ut fanaticorum delira *Φαντασία*. nam si phantasia hominis corrupta, quas non species monstrosas fingit? Falsa persuasio & melancholia quarumvis absurdissimarum rerum quodam velut theatrum est. Confer Rupertum ad Valerium l. i. cap. 6. 7. 8. & Berneggerum ad Svet. Aug. c. 6. p. 21. vehemens imaginatio spiritus conturbat. vid. Thom. Hobb. c. 2. de civit. Eccl. ac civ. (32) Magis autem propriè significat ὄραμα sive visum ὡντως tale, cui omnino aliqua subest substantia. Et hoc est vel *divinum*, cuiusmodi *geoφανεῖας* Sacra Biblia sunt referta: vel *Angelicum*, quando Angeliboni, candidâ ac lucidâ veste quâdam amicti hominibus apparent: vel *Φυσικὸν*, sive *naturale*, ut cum ligna putrida nocte lucentia, aut ignes fatui & similia, à simplici plebeculâ causarum ignarâ, indiscriminatim pro dæmoniacis Spectris habentur, (licet ad mille technas suas incrustandas his saepius fallacissimū Spiritum uti haud inficiemur: (33) vel *Τεχνικὸν* ac *artificiale*, (34) quando *veteratoria Spectra* aut *Opticae* aut alterius simulationis beneficio exhibentur: vel deniq; *Diabolicum*, quod hujus nostræ esse tractationis, ex supra dictis luculenter patet.

Synony-  
mia.

§. 5. Nomina Spectrorum, quibus alias insigniuntur, varia comprehenduntur. Vocantur *Ostenta*, (35) *Genii*, *Semithei*, *Heroës* *Striges*, *Larvæ*, *Manes*, (36) *Lares*, *Lemures*, (*Polter-Geister* /) item,

Simu-

(32) De ejusmodi somniis, & falsis persyationibus prolixè agit Schott. in Phys. Cur. lib. II. part. I. c. VI. §. 1. sqq. p. 225. Adde & Wier. de Lamiis, lib. III. c. 15. p. 290. & passim, ubi occupatur circa Lamiarum corruptam Phantasiam. Tunc enim verum est, quod Epictetus in Enchirid. c. 10. habet: homines saepè turbari non rebus, sed iis, quas de rebus habent, opinionibus. (33) Vid. Excell. Dn. Prof. Jac. Thomasi Praeceptoris Nostri Oculisi. Disput. de Marinis ignibus, Th. 21. (34) Vid. B. Dannh. Idea Bon. Interpr. & malit. Column. p. m. 56. 57. Huc referas Spectra à Monachis Franciscanis Aureliæ in Galliâ facta, de quibus legi meretur Sleidanus Commentar. I. IX. fol. m. 99. Ieqq. Confer etiam Wierum l. 5. de præstig. Dæmon. c. 23. Simile factum à monachis Spectrum refert Joh. Stumpfus l. 13. vid. Scherertz. I. c. part. 3. & Barclajum in Euphor. p. 22. 27. it. Francisci Eustige Schaubühne p. 940. quæ C. Schotto Jesuitæ displicant. Phys. Curios. I. 2. part. 1. c. 1. p. 201. De speculo illo aereo Reginorum in freto Siculō, quod in aere offert theatru multarum rerum varietate, columnis, ædificiis, bestiis, hominibus ornatum vid. Athanas. Kircheri l. 10. p. 2. c. 1. de arte lucis & umbræ. (35) Alexand. ab Alex. lib. 2. Gen. Dier. c. 9. Sveton. Tranqvill. in vita Julii Cæs. (36) Differentiam inter Manes, Lares & Lemures vide apud Augustin. lib. 9. de C. D. c. II. fol. m. 512. & L. Vivem in h. l. quilectu dignus.

**Simulacrum, Umbra, Imago.** (37) Græcis dicuntur  $\tau\epsilon\delta\omega\lambda\alpha$ , & in Novo Testam.  $\tau\epsilon\delta\omega\lambda\alpha$ , (38) (ubi B. Luth. ein Gespenst reddidit,)  $\tau\epsilon\delta\omega\lambda\alpha$ , (39)  $\pi\nu\epsilon\mu\alpha\tau\alpha$ , (40)  $\sigma\epsilon\mu\alpha\tau\alpha$ , (41) qvod vocabulum B. Luth. per Gesichte / exposuit.

§. 6. Definitionem qvod concernit, *Generis locō posuimus Spiritū malos personatos*; qvos solos hīc intelligi debere, jam supra Sect. I. §. 8. dictum est. Spectra enim Substantias medias esse inter spiritus & homines somniū est Phantastici illius Medici Theophrasti Paracelsi, de qvibus in suis operibus passim stultè philosophatur, cacomones sunt. Ut enim à rerum primordiis larvatā facie hominum mentibus & oculis densas tenebras offundere ille primus universi mali architectus tentavit: ita adhuc subinde miris modis, variisq; speciebus, qveis suos socios vestit, homines fallit.

§. 7. Ex historiis hoc patet: Talis Spiritus absq; dubio ingens illud, ac prodigiosum simulacrum fuit, (42) qvod Dionis obtulit: item, qvod M. Bruto (43) ante Philippicam aciem, ejusq; obitum visum est. Vide &, qvod Lavaterus (44) ex collectaneis locorum communium Joh. Manlii de truculentissimo illo infantidā, horrendo Spectro, narrat: Et Sozomenus (45) de infesto seditionis Antiochiae motore. Gregorius Nyssenus (46) de dæmone homicidā in thermis. Svetonius (47) de Manibus Galbae, Aliiq;. Et tametsi aliquando Spectra inveniantur, qvæ magis bonis, qvam malis Spiritibus dignas operationes edere videantur; fit tamen illud, vel ut tantā fucatā ac simulatā benevolentia nimis credulæ turbæ illuminant; vel fraudibus demum eam irretitam (si Deus indulgeat,) in præci-

B

IMAGO  
Genus hoc  
probatur  
qvo ad Exi-  
stentiam  
ex histo-  
riis.

(37) Hæc Synonyma freqventiora sunt Poëtis. Vid. Maro, Aeneid. l. 2. vers. 770. seq. & Servium in h. l.  $\tau\epsilon\delta\omega\lambda\alpha$  Larvas propriè Latinè interpretere, C. Barthius ad Aen. Gazzæum commentatur p. 144. (38) Matth. 14. vers. 26. Marc. 6. vers. 49. (39) Sap. 17. vers. 3. (40) Luc. 24. vers. 37. (41) Act. 16. vers. 9. (42) de qvo Plutarch. in vita Dionis, sub finem, aliiqve. (43) item in vita Marci Bruti. Ipsa enim monstrosa imago, qvalis esset, indicabat: Tuus, inqviens, & Brute, malus Genius sum, in Philippis me videbis. Id qvod ita evenisse, Brutus  $\alpha\upsilon\chi\epsilon\eta\alpha$  dicto loco susceppta probat. (44) lib. de Spectris, part. 1. c. 12. (45) lib. 7. c. 23. (46) in vita Gregorii Neocæsariensis, apud Surium Tom. 4. (47) In Ottone, Citat. etiam Schottus hæc exempla in Phys. suâ Curios.

præcipitium deducant. Exemplo nobis esse potest vel unicus ille  
versutus Spiritus in Diœcesi Hildesheimensi, Hudekin Saxoniam lin-  
gvâ appellatus, de qvo mira Petrus Thyræus (48) refert. Videba-  
tur is hominum conversatione plurimûm delectari, qvibus nunc sub  
humanâ specie, in habitu rustico, sese exhibebat; nunc invisibiliter  
illudebat. Principes viros de rebus magnis admonebat; aliis sua  
obseqvia non negabat: In culinâ Præsulis freqventius inveniebatur  
cocis ministrare. Deniq; autem paulisper à puerulo qvodam in cu-  
linâ læsus, ferocissimam suam indolem prodit: inventum in culinâ  
dormientem puerum primùm suffocat, mox in frusta dividit, tan-  
dem igni appositum coqvit. Nec hâc vindictâ contentus, multis a-  
liis modis & culinæ Præfectum, & alios ex aulicis vexat. En sub  
larvâ latentem lupum!

Probatur alio exem-  
plô ex S.  
Scr.

Samuel  
Saulo non  
apparuit.

§. 8. Facit hâc memorabilis de apparitione Samuelis (49) hi-  
storia. Apparuit ibidem *Diabolus larvatus*. Spectrum & phan-  
tasma fuit, ait Augustinus. (50) Et iterum: mortuos non appare-  
re, nec scire qvicqvam de rebus nostris, nisi quantum Deus velit reve-  
lare. Si fuit Samuel, aut fuit *totus & animo, & corpore*, aut cum *solo  
animo*, aut cum *solo corpore*: non fuit *totus*, alias oporteret eum re-  
surrexisse, qvod Magiæ aut Diabolo non potest tribui. Deum tan-  
tum miraculum Diabolo permittere, non est credibile; Solius Dei  
est excitare posse mortuos. Qvòd Apollonius Tyanæus (51) ex-  
citaverit puellam, fabula est. Nec ejus *cadaver* fuit, ut Burgensis pu-  
tat. Cadaver per se res stupidæ, nec respondere qvicqvam, nisi Dia-  
bolus induisset, potuisset; Diabolus verò & illud sine cadavere po-  
tuit: nam licuit ei formam & figuram ejus accipere. Deum autem  
potestatem Diabolo concessisse, ut hujus Sancti Viri cadaver assu-  
meret, Sanctorum cura, qvam Deus gerit, non permittit. Non fuit  
ejus

(48) lib. de Locis infestis, part. 1. c. 1. ex Trithemio in Historiâ Hirsv.  
circa Annum Domini 1132. Similes historias de Spectris in Colloquiis B. Lu-  
theri, qvæ Henr. Petr. Rebenstockius colligit. legas, p. m. 113. seqq. Tale  
qvoq; nuper Spectrum illud Crosnicense fuit in Silesiâ, qvo de Dn. L. Heinr.  
Conradi olim lectionem pro Licentia Doctorali, qvam vocant, instituit. It.  
spectrum montis Gigantæi, qvod Germanicè Rühenzahls appellatur, cuius va-  
riæ apparitionum formæ viatoribus non sunt ignotæ. (49) 1. Sam. 28. verf.  
3. 4. seqq. (50) Vid. P. Martyr. Loc. Comm. fol. 34. 35. (51) Vid. Del-  
rio, Disqvisit. Magic., p. 310.

ejus anima, qvia beatorum animæ in manu Dei, ut suprà dictum.  
Hinc benè + Aen. Gazæus negat, Chaldæorum, Ægyptiorum & Græ-  
corum mystas defunctorum animas reducere potuisse.

§. 9. Dicis: Verum prædixit, Ergo propter veritatem non Objectio  
malus Spiritus. R. Falsa est major. Marc. i. v. 24. Diabolus de refellitur.  
Christo verum dixit, esse Filium Dei: Act. 16.v.17. doctrinæ Pauli  
præclarum testimonium tulit. Deus perterrefacere hōc nuncio vo-  
luit Saulum. Diabolus veri aliquid falsis admiscet. Proinde Ly-  
ra (52) verum Samuelem fuisse affirmans, deliravit. Samuel non  
fuit (53) cum P. Martyre, (54) probamus porrò: I. Deus Saulo  
respondere noluit, nec per Prophetas, nec Sacerdotes, nec somnia  
E. nec per Samuelem mortuum. II. Aut voluntate Dei, aut vi ar-  
tis apparuit; non prius qvia Deus prohibuit: non posterius, qvia  
Magici non habent potestatem in pios. III. Aut venit sponte, aut  
invitus: non sponte, qvia sic consensisset arti Magicæ; non posterius:  
invitum venisse dicere indignum. B. Dannhauerus (55) ut The-  
ologum decet, suo more breviter contrariam sententiam ex textu  
Biblico destruit, qvi evolvipotest.

B 2

§. 10. Ex-

+ Aen. Gazæus in Theophrasto p. 24. 25. (52) citante P. Martyre l. c.  
f. 36. Cum eo & faciunt C. Schottus: Phys. Curios. lib. II. c. 25. p. 290. &  
p. 285 & qvos ipse citat, Ambrosius in c. 1. Lucæ, Hieron. in c. 7. Esaiæ, Abu-  
lensis, Lyranus &c. Basilius, Epist 80. Gregorius Nazianz. Or. 3. Perer-  
rius in c. 8. Exod. Disp. 8. Bellarminus lib. 2. de Purgator. c. 6. Thyræus lib.  
1. de Apparit. Spirituum, c. 16. thes. 410. Delrio, l. 2. Disqvis. Mag. qv. 6. p.  
113. & 25. Sect. 2. p. 217. Cornelius à Lapide in c. 46. Eccles. aliquæ plures.  
(53) In hac opinione sunt nobiscum Tertullianus lib. de Animâ, c. 57. Auctor  
librorum de Mirabilibus S. Scripturæ, Auctor Qvæstionum V. T. Augusti-  
nius, J. Martyr. Procopius, Theodoretus, Rupertus, Cyrillus, Beda, Janse-  
nius, Leloyerus, Lavaterus, & alii. Vid. & Joh. Hieron. Sopran. in Davide  
ad l. 1. Reg. 28. disp. 2. c. 2. Rainold. Cens. prælect. 75. p. 885. Wier. lib II.  
de magis infamibus, p. 183. it. de Lamiis, c. 2. p. 15. Peucer. de Magiâ, p. 152.  
154. confer, qvas in margine Delrio l. c. p. 113. allegat. (54) P. Martus 2.  
l. c. (55) in Hodosoph. Phænom. IV. p. 413, seqq. Idem senserunt quidam  
Rabbini, R. Samuel Hopni, R. Schadiach Ogaon, & R. Hay apud R. Me-  
nassen lib. II. de Resurrect. c. VI. p. 167. Ipse autem Menasse l. c. mirè ex  
stultis hypothesis de X. creatis קְרִיפָת philosophatur, qvod deinceps ad  
Samuelis sic dictam apparationem applicat. Vid. Hoornbeekium de convin-  
cend. Judæis l. 8, c. 2 p. 538. seqq.

Porisma ex §. 10. Exinde Diaboli dolos & sutelas cognoscas. Cùm illa appari- enim capite sit attritus, (56) mordet adhuc calcaneum; ferocit cau- tione. dâ, nondum plenisimè abysso alligatus adhuc vagatur, atq; omni- bus modis fideles vexare consuevit.

Dei per- missu ap- parent.

§. 11. Nihil tamen, sive apertè, sive opertè, citra divinum permisum, præsertim in pios, potest; qvod vel ex eâ, qvâ in ipsum Virtutis Thaumatophylacium, Jobum (57) saeviebat, non nisi di- vinitus concessâ potestate, videre est. Quid? qvòd ne porculum qvidem, vile animalculum (58) absq; Christi nutu attingere liceat? Optimè ergo totius illud Occidentis Lumen Augustinus: (59) Da- mon, ait, est quasi canis à Christo ligatus, qui latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem: persuadere potest, precipitare non potest. Conferas hic iterum B. Lutheri colloquium, apud Heinr. Petr. Rebenstockium. (60)

Materia qvâ appa- rent. non defun- etorum ca- davera.

Corpora ex aëre af- sumunt.

§. 12. Apparent sub effectis corporibus, ut conspici queant. Dispiciendum igitur, unde & qualia sint illa corpora? Variant in hâc decisione Autores: alii (61) illa dicunt cadavera recentia defunctorum hominum; sed hoc non fieri existimo, qvia dæmones saepius lon- go tempore post obitum illorum, qvos referunt, apparent, qvando cadavera jam sunt sanie ac tabe confecta: imò potestas eidem in mortuos nulla. Placet nobis eorum sententia, (62) qui corpora statuunt à Spectris assumiformata ex aëre condensato. Qvod prop- ter subitaneam evanescientiam omnino ita videtur, & qvia ista etiam corpora solvi, & iterum coire haut raro visa sunt. Præsertim si jux- ta Chrysostomum (63) universus aër plenus est dæmonibus. Jam

juxta

(56) Gen. 3. vers. 15. (57) Job. 1. vers. 7. 8. sqq. c. 2. v. 6. sqq. (58) Matt. 8. vers. 31. Marc. 5. vers. 12. 13. (59) verba hæc esse Augustini stilus innuit sed lib. 20. de C. D. c. 8. non extant, ut nonnemo allegat. (60) Colloq. de Diabolis p. m. 123. causas cur Deus Diabolo hoc permittat, tradit laudatus Scherer- tzius de Spectris part. 2. consolat. primâ (61) Becanus, Adrianus Heer- boord, Ebelius, Clasenius c. 23. de Intell. p. 113. & alii, (qvos citat Dn. L. Ge- org. Meierus, in Pnevmat. p. 725.) it. Scheibl. Metaph. lib. 2. c. 4. p. 222. (62) Scheibl. I. c. Ebelius disp. 16. §. 46. & alii. Augustin. lib. 21. de C. D. c. 10. Vasqvetz, part. 1. disput. 148. (63) in 1. Thesfalic. Hûc conferri potest locus Paulinus Ephes. 6. vers. 12. & Augustinus de Civ. D. lib. 8. c. 22. L. Vi- ves in h. l. commentatur veteres plerosque in aëre totam illam inferorum fa- bulam constituisse, Proserpinam & Summanum. Ditem & Manes & Furiæ

juxta aliquos Sympathiam quendam esse oportet inter τὸν creatum & contentum. Adducitur ab aliquibus experientia illorum corpora esse aërea. Fuisse enim, qui ea conati sunt aliquando scindere & vulnerare; sed nihil potuisse; illa enim cesseris ictibus, & statim denuo coivisse. Itaque; Ille pulcre cecinit;

Ter conatus eram circumdare brachia collo.

Evanescunt facilimè. Si essent terrea, aliquid maneret solidi: si aquæ, diffuerent, si ignea, comburerent, & attraherent non possent. Spissant autem & condensant ista corpora dæmones ex compressione partium: Nam alioquin non possent videri aut tangi. Quæ & Emmanuel Magnanus ex Opticis de spectrorum visibilitate philosophatur, obscura & in certa sunt.

§. 13. Unio autem ista Dæmonis cum corpore non fit ὑποστήκως, & personaliter, ut vult Tertull. (64) neque; στικτῶς essentialiter & physicè, ut Aureolus (65) censuit; sed παραστήκως & συμβεβηκότως, extraneè & accidentaliter. (66) Sunt enim in illis definitivè, h. e. ita in illis sunt, ut non sint alibi. Conf. P. Martyrem. (67)

§. 14. Formæ horum corporum, quibus se manifestant, variæ sunt. Hinc bene Remigius: (68) Nullæ, inquit, sunt animaliū species, quas dæmones per occasionem non usurpent, dum dolos admoliuntur, technasq; instruunt; nullum tamen adhibent libenter, quam hominis, quod ea ad congressum & colloquium convenientissima sit. Neque; tamen hanc tantum, sed & bestiarum, ut plurimum abjectiorum & fætidarum, nimisrum (69) serpentum, draconum, canum, felium, ursorum, leonum, luporum, bufonum, corvorum, aliorumque; specie hominibus imposuisse, molestiam creasse, variaque; damna intulisse, ex-

B 3 peri-

ut Martianus Capella ostendit. Hinc Haymo tertius Episcopus Halberstadiensis ait: quod si quis posset videre spirituales creature, ita eas ebullire in aere, tanquam minimas atomos in splendore solis, ut habet Belethus in Rationali c. 154. p. 282. & ult. Philos. Nat. proposit. ult. num. 21. ap. C. Schottū l. c. (64) libro de Carne Christi. (65) apud Capreol. 2. d. 3. qv. 1. a. 1. ut refert Pelarg. in Damasc. l. 2. c. 3. p. 29. (66) haec unio, juxta Becanū part. I. tract. 2. Theol. Schol. c. 1. qv. 46. requirit tria: 1. ut Angeli substantialiter existant in corporibus. 2. ut existant per modum talem, qualis motor est in mobili. 3. ut utantur iis corporibus, tanquam instrumentis, ad se manifestandos. (67) ibid. loco cit. (68) lib. 1. Dæmonolat. c. 7. (69) Vid. B. Luth. Colloq. cit. p. 119.

Unio Dialektologi cum efficto corpore qualis.

Formæ spectrorum externæ.

perientia testis est. (70) Marcus Brutus vidit horrendam & monstrosum imaginem corporis feri atq; terribilis. (71) Cimon canem latrantem ac loquentem. (72) Vir alius (73) nigrum & praegrandem canem. Anno 1545. Rot Wilæ (74) per urbem Satanás vagatus est, sèpè leporis, sèpè etiam anseris interdum, qvoq; mustela assumptâ formâ. S. Antonius (si Athanasio (75) credere fas est,) varias bestiarum formas, ut leonum, taurorum, hircorum, luporum, aspidum, scorpiorum, pardorum, ursorum, expertus est. Tetrâ & horribili specie Amico Alexandri ab Alexandro (76) in via apparuit spectrum. Et quis omnes μυειοτχνίτς astutias recensem? Hoc saltim παρα-Φωτινῶς, à Clar. M. Reyhero (77) observatum hic notare placet, Spiritus scil. nequam agni aut columbae specie abusos esse nuspian legi; idq; vel ex voluntate Dei non permittente, ut duas has creaturas, quvarum alterâ Salvator, alterâ Spiritus S. adumbratur, nequissimi emulentur Spiritus; vel voluntate propriâ, qvâ planè à Deo abhorrent. Ast tamen Ipsius Christi specie Pachomio, aliorumq; Sanctorum figuris, Eremitis aliis apparuisse, (78) Cornelius à Lapide (si Autori credendum) testis est. Qvippe Angelum lucis mentiri potest.

Qvibus  
potissimū  
spectra vi-  
ce sint.  
§. 13. Nunc etiam videndum, qvibus se Spectra præcipue manifestent. + Hominibus ea sèpissimè apparere, nullâ probatione indiget, cùm communis omnium sensus atq; consensus, qvotidianâ experientiâ confirmatus ultrò id affirmet. Ut enim virulentissimus ille ἀνθεμότροος (79) contra creaturas rationales in ipsam Dei consanguinitatem per Christum receptas, invidiâ ac ασπόνδω odio inflammatus, sèvire nunquam cessavit; ita qvo proprietor sui furoris meta, (80) eò ardentius furit, & mille artibus μεθοδίας (81) suas exercet, cuius rei iterum illustre exhibet testimonium historia Jobi,

& com-

(70) Vid. M. Reyher. Margarit. Philos. p. 86. (71.) Plutarch. in ejus vita. (72) Idem Plut. in vita Cimonis, prope finem. (73) Joh. Fernelius de additis rerum causis l. 2. (74) Fincelius lib. 1. (75) in vita S. Antonii. (76) Alexander ab Alex. Gen. Dier. lib. IV. c. 19. fol. 230. (77) in Margarit. Philos. p. 86. (78) Cornel. à Lay. Comment. in 2. Cor. XI. fol. 398. 399. + Publicis personis Diabolum infensum magis esse, qvām cæteris Schererzius docet, l.c. cap. 4. Lutheriq; exemplo probari potest, qvām non semel vexavit. (79) Joh. 3. veri. 44. (80) Apoc. 12. v. 12. (81) Eph. 4. v. 14.

& complures profanæ. (82) Imprimis autem *meticulosi* (83) magis spectra, qvam fortes vident: volupe enim Diabolo est, homines terrire, qvos facile timor occupat.

§. 14. An autem bestiis etiam in *assumptis corporibus* Dæmon appareat, res non est tam clara; pro affirmativâ tamen facile stamus. Cùm enim non homines tantum, sed & omnia, qvæ hominum sunt, perdere dies noctesq; studeat, qvidni & illa terreat? Canes Spectra abegisse latratu Taubmannus (84) habet. Forte insolitâ specie canes perterfacti allatrarunt, & Diabolus, qvi nondum conspici voluit, fugit. Conferri potest Schererius l. c. cap. i.

§. 15. His apparitionibus noctem potissimum princeps tenebrarum selegit. Qvâ & glaucomata sua obtrudere facilius hominibus, & supersticiosos fallere felicius potest. Nam veteres (85) defunctorum imagines non qvovis, sed nocturno tantum tempore per terras vagari, & suis se spectandas offerre credebant. Sic Properius (86) umbras loquentes proponit. Huc faciunt historiæ de Arce qvâdam, arte & naturâ munitissimâ, regno Sveciæ subiectâ, qvâ de Olaus Magnus (87) scribit, qvòd fermè per omnes noctes in mediis undis citharecedus ludens conspiaciatur, & audiatur. Huc, qvæ de Arce in Scotia, qvæ propter nocturnos gemitûs & clamores, Mons dolorosus dicitur, Boëthius (88) refert. Huc etiam nocturnæ illæ umbræ, (89) qvæ Uladislaum I. Polonorum Regem, Naclum arcem Pomeranorum obsidentem fugârunt. Item Spectrum, (90) qvod in Nuptiis saltans Alexander III. Scotorum Rex, vidit. Qvod Jacobo Donato, Patricio Veneto: (91) qvod Eduino Alla Deiorum Regis Fratri: (92) qvod Gennadio Patriarchæ Constantinopolitano,

fub

(82) Vid. Plin. Secund. lib. 7. Ep. 27. Dio Casf. Hist. lib. 55. initio, ubi p<sup>e</sup> Druso loquitur. Ammianus Marcellinus lib. 25. de Juliano Imperatore, &c.  
(83) Vid. Francisci Eustige Schaubühne/p. 910. causam ex Theologiâ adfert Schererius l. c. cap. 3. (84) ad Virgil. Eclog. 4. p. 87. (85) Vid. Buxhorn I. Qvæst. Rom. qv. IX, 42. 43. & C. Barthium in Æn. Gazzæi Dialog. not. p. 144. (86) lib. 4. Eclog. 71. (87) lib. 20. cap. 19. (88) lib. 4. Histor. Scotor. (89) De his scribit Cromerus lib. 5. Histor. Polon. (90) Cardan. de rerum varietate, lib. 16. c. 93. (91) Cardan, ibid. (92) Polydor. lib. 4. Hist. Anglic.

sub Leone Magno Imperatore, ad altare stanti, (93) qvod Possessori  
villæ novo apud Svetonium, (94) visa sunt.

Locus Spe-  
ctrorum  
generalis  
& specialis  
ex hist.

§. 16. Neq; etiam circa unum locum Spectra sui spectandi co-  
piam faciunt. In locis septentrionalibus potissimum Spectra, qvæ  
per naturam frigoribus damnata sunt, ut Finniæ, Lappiæ, Nor-We-  
giæ, Islandiæ &c. exercitiis infesta magicis & dæmoniacis illusioni-  
bus, fuere, ut observat Clar. Dn. Kirchmäjerus. (95) Deinde & in a-  
liis regionibus, diversisq; locis conspicuntur. Modò apparent in  
solitudinibus, in locis humidis & paludosis, in campis & sylvis, in  
thermis & balneis, modò in fodinis & specubus conspicuntur, modò  
in ædibus, templis, sepulchretis, (96) castellis, arcibus monasteriis  
&c. id qvod prolixè monstrat Casp. Schottus in suâ Phys. Curiosâ.  
(97) Freibergæ '( qvam dñlcissimam meam non ita pridem Altricem  
lubens nomino ) Dæmon pontificali veste amictus ipsum Viri cujus-  
dam pietate & ætate venerandi lectulum, quo fixus jacebat, accessit;  
vexavitq; peccatorum examine. (98) Johannes Wierus (99) horri-  
ficam qvarundam Monialium excarnationem in ipso Wertelensi  
Monasterio à Dæmoniis factam, narrat.

Causa fi-  
nalis.

§. 17. Superest deniq; ut Spectrorum hinc inde visorum cau-  
sam breviter perstringamus. Ea fraus est. Omnidè, inquit Peuce-  
rus, (100) machinari multa & conari, atq; etiam perficere Diabolum  
vel manum, vel Spectrorum qualiumcunq; asciticiâ specie, non est du-  
biu[m]. Sic Spectrum fabro serario interdixit fraudulenter, ne Sacra-  
mentum sub utrâq; specie sumeret, apud Rebenstockium. (101) Est  
enim

(93) Niceph. lib. 15. c. 23. Suidas, Cedrenus. (94) in Octav. Aug. c. 6.  
Confer. Bérneg. ad h. l. (95) ad Tacit. in not. p. 437. sqq. ubi per Deo-  
rum formas Spectra Tacitum intelligere notat. Confer etiam Peucerum, qui  
Spectra apud Pilappios cum hominibus versari, convivari & colloqui refert,  
nec arceri ullâ ratione posse. De divin. præcip. gen. p. 138. (96) Causam  
habet Peucerus l. c. p. 140.: Spectra in sepulchretis apparent, qvia apud gen-  
tiles in iis emergere ac sistere animas provocatas, opinio erat: qvò hanc con-  
suetudinem consulendi manes ratam facerent. (97) lib. II. part. II. cap. 7.  
sqq. p. 240. sqq. (98) B. D. Hier. Wellerus, & Manlius in collectan. (99)  
lib. 4. de Præstigiis dæmon. c. 10. cæterum cur in locis publicis potissimum  
Spectra videantur, B. Schererzius edifferit l. c. c. 4. (100) In Comment. de  
Magia, p. 161. in fine. (101) Rebenstock, in colloq. Lutheri, p. 112. sqq. ubi  
plura exempla leguntur.

enim, inquit B. Lutherus, tanguam aucepis, qui non tantum viribus,  
sed insidiis & fallaciis insidiatur. Cui si Deus non resisteret suâ poten-  
tiâ, & Angelis, ne unam horam viveremus, repente nos interfecisset, &  
collum fregisset. Nemini parcit, nisi illis, qui suam sibi cantilenam ca-  
nere posunt, illos præservare potest, cæteros omnes interficere conatur.  
Vid. B. Lutherum. (102) Adeoq; contra Cacodæmonis indolem di-  
ctum esse puto, qvòd nonnulli in \* mitia, ac crudelia (ni fortè de ex-  
ternâ tantum facie illis judicium sit,) ea distingvere audeant, cùm  
tamen idem omnibus sit nocendi animus, Es ist ein Teuffel so  
arg als der ander / &, nisi à Deo φιλανθρωπεία clementer tanta vis co-  
hiberetur, certè miserrimus ubiq; eventus noster magister esse posset.  
Dulce qvandoq; canit fistula; sed qvid aliud, qvām mollis ac delica-  
tus Acheloidū cantus, qvo in exitium multi pelliciuntur? Qvod  
tragica illa, ac deploranda puerorum eductio, atq; seductio, qvæ in  
oppido Hammel (103) facta, sanè sufficienter probat. Vide, qvæ  
suprà s. 8. hujus Sectionis de hâc re diximus, & qvæ passim in exem-  
plis hincinde occurunt. + Ex iis constat, damnatissimum illum  
Sycophantam nullo tempore à perniciosissimo fuco sese cohibusse,  
neq; unq; vām cohibitum, nisi eum optatus mundi aliquando deti-  
neat finis.

§. 18. Nunc novam sectionem de *Adjunctis aliis, spectrorum*  
*apparitione, prædictionibus, potestate, effectis, propulsione apud Ponti-*  
*ficios ridiculâ, & apud pios seriæx historiis & rationibus addere con-*  
*stitueramus: Ast causæ fuerunt, qvæ nos hîc interim desinere im-*  
*pellebant. DEUS suos à Diaboli tyranide præstet tutos! Ipsi, cu-*  
*jus est gloria, sit sempiterna laus!*

(102) apud Rebenstock. l. c. p. 117. \* Talia Germanis vocantur die Güt-  
tichen/ qvæ certis temporibus familiariter cum hominibus conversantur. Ex-  
empla passim sunt obvia. (103) Fincelius lib. 1. de Miraculis. Wier. de Præ-  
stigiis Dæmon. lib. I. c. 16. p. 80. + Notatu digna sunt, qvæ Schererius  
de Spectris veteris Marchiæ habet, qvæ A. C 1594. Spandavia mirunt in mo-  
dum diu homines publice vexarunt. l. c. cap. 2.

• 8 (o) 8 •

## C

## Corol-

## Corollaria.

### I.

- O**Mnia fundamenta, quæ Delrio (D. M. l. IV. c. 3. qu. 4.) prænotionis physiognomicæ ponit, probabilem tantum faciunt collectionem.
2. Oculorum in terram defixio, etiam ex honesto pudore oritur.
3. Imprudenter Cleomenes oppidum munitissimum intuens exclamavit: ô muliebres latebras!
4. Prudenter Galba Imp. milite internò utebatur.
5. Pulchrum Taciti de consiliis ineundis consilium: omnes, qui magnarū rerū consilia suscipiunt, aestimare debent, an quod inchoatur, Reip. utile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certè non arduum sit. Christianus addit: an in Dei gloriam vergat.
6. Si Nazianzenus, Basilius aliqu, Patres affectus omnes planè rejecerunt (ut P. Martyr Loc. commū. f. 137. assert) ex Stoicā philosophia illud dubio procul hauserunt.
7. Coronas etiam ad imperitos perferre gratia solet.
8. Homines primum aratri usum à sue didicisse ut veteres apud Vosfium de Idol. O. & P. l. 3. c. 67. p. 1085. opinati sunt, non credimus.
9. Verisimè M. Min. Felix in Octav. p. m. 29. de divitibus. Adeò facultatibus suis illigatos, magis aurum suspicere consuesse, quam cœlum, scimus.

-10100  
10. Ba-

10. Baptismum Phōlio modū in primitivā Ecclesia fuisse  
dictum, quod baptizato cereus in manus daretur  
ad interiorem anima illuminationem significandā  
non ineptè Vossius de Idolol. l. IV. c. 92. p. 1629.  
statuit. Paulum verè Ebr. VI. v. 4. eò respexisse,  
unde probabitur?
11. Infirmum argumentum ex Virg. lib. 2. Aeneid, ad  
animarum defunctorum apparitionem adducitur:  
Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusa  
Visa mibi ante oculos, & notā major imago.
12. Non ineptè G. Hornius in orbe Polit. p. 2. edit.  
nov. subtilitatem & magnam sapientiam non re-  
quiri in Politico statuit, dummodo sit par negoti-  
is, neq; supra, qvi possit præstare id, qvod est sui of-  
ficii: ut hinc dimitti sine Censura à Job. Brande in  
deverā & simulatā JČtorum Philosophia c. V. p.  
83. potuisset.
13. Monzambani de stat. Imp. c. i. p. 8. hypothesis  
non ubique procedit, ut illius nationis quisque cen-  
seatur, cuius ipsius pater est, & ubi sedem fortuna-  
rum à patre majoribusque traditam obtinet.
14. Malè Toletus terminum absolutum definit, quod  
significet rem per se stantem.
15. Qvod antiqui Philosophi, quos refert Clemens  
Alexandrinus l. 8. Stromatum (apud Arriagam  
Curs. Philos. fol. 453.) statuerint sola cognosciti-

va



*Va vivere, non verò plantas, causa erat, quod rationem vita in principio cognoscitivò aut appetitivo consistere putarent. Verum hoc falsum est.*

**16.** *Quos Cæsares & Monarchas mortuos & ipsum Alexandrum M. Magus quidam Maximiliano Imp. inspectaculum produxit, (Luthero referente apud Rebenstockium l.c. p. 115.) fuere Diabolipersonati.*


**17.** *Non ineptè Metaphysica Ontologia vocatur.*

**18.** *Sapè non quod quis videt, sed quod quis videre vellet, se vidisse persuasus est. Exemplum supeditat Hurtad. Mendoza disp. 2. de caus. & ort. generat. Sect. 7.*

**19.** *Russorum uxores amorem maritorum suorum estimare, (ut G. Hornius refert in Orb. Polit. de imp. Russ. Aphor. 2.) ex plagarum multitudine, improbabile videtur.*








00 A 6336




56.

V 8-17  
Reho ✓





**Farbkarte #13**



54

**XL.**

Q. D. B. V.  
*DE*  
**S P E C T R I S,**  
*INCL. FACULT. PHILOSOPH.*  
*ANNUENTE,*  
*P R A E S I D E*  
*D O M I N O*  
**M. A D A M O Rechenberg/**  
*Ser. Elect. Saxon. Alumno,*  
*publicè disputabit*  
*D. XI. Martii, A.C. M. DC. LXVIII.*  
**JOHANNES GABRIEL Drechsler/**  
*Wolckenstein. Misn. Philos. Studiosus,*  
*A. & R.*  
*H. L. Q. C.*

---

*LIPSIAE,*  
*Literis JOHANNIS ERICI HAHNII.*

39 C